CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITÆ A' CLERICIS REGULARIBUS SUB...

Jacobus Bonanni



CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITÆ


A' CLERICIS REGULARIBUS

SUB FAUSTISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI

COSMI III.

MAGNI HETRURIÆ DUCIS



FLORENTIÆ. MDCIC.

Typis Vincentij Vangelisti Archiepiscopalis Typographi.

SUPERIORUM LICENTIA.



SERENISSIME MAGNE

D V X.

ARduum honoris fastigium, summumque gloriæ verticem pertingere desiderans hæc mea Philosophia ad infimum solii Tui gradum, Serenis. Magne Dux, prosterni humillimè exposcit. Nec eam votis suis difficilem me habere oportebat, cui eo modo suæ securitati, & honori optimè con-

fulere, eamque candidati fui vices plena devotionis debitæ fubmifsione fupplere exoptabam. Tuo augufto coronata nomine; quid illi gloriofius? Tuis regalibus devoluta pedibus; ubi illa fecuriùs? Patronū confequetur Principem, qui Principatu Magnus; Virtute Maximus; Cæteris Major; fibi foli par femper exiftit; Libenter modeftiæ tuæ obtempero omittendo, quæ Tibi hic deberentur encomia; Non enim alium, quam Te ipfum habere potes condignum Laudatorem; Tunc fatis laudatus ibis, quando ea, quæ agis, oftendes; Tunc oftendes, quæ agis, quando amplifsima quæque facinora patefacies. Nihil tuum cogitat, qui nihil cogitat fingulare, Tua folummodo confpiciuntur, quando percipiuntur Infignia. Officit fibi ipfi tua par prodigio pietas, eo laborat defectu quo res maximæ, ac fummę: quę dum omnium mentem exfuperant, fidem, ac laudem, quam promerentur, non adinveniunt. Coronatam antiquitùs Magni Ducatus gloriam, quam inclyti Majores tui, plurium Regum, Summorumque Pontificum ftri-

cto augusti sanguinis vinculo juncti, magno emerunt, & conservarunt merito, Tu maximo auges, ubi cæteri desierunt incipiens, ita ut dici possit, Te tot Regalium Progenitorum plausus minuere, dum proprios addis; Doces enim illorum singularissima gesta non respuere æqualitatem, immò incrementum; Taliter dominandi munere fungeris, ut omnes fateantur, Principatum ad sui ampliorem magnitudinem indigere COSMO, non verò COSMVM ad sui gloriam indigere Principatu. Omnium virtutum eximia facta adeò exornas, ut tantum posśit tenebris offundere, quicumq; studuerit laudibus illustrare. Nullius igitur sit laudare, qui laudatus decresceret; Nec enim laus est, ubi laus ipsa minuitur. Brevi non eget encomio, qui in sui admirationem universum excitat terrarum Orbẽ; Admirantur in Te Sapientiam Principes, Theologi Gratiam, Æquitatem Iuridici, Naturam Philosophi, Mores Ethici, Poëtas verò pudet se in tanti Principis Majestate talem intueri Heroem, qualem in fabulis suis fingere non valuerunt; Thriumphato-

rem

rem suum in Te venerantur Rethores, qui cum se impares in actionibus tuis præstantissimis exornandis agnoscant in earum singulis partibus, singulos se se occupare posse, deprehendunt. Omnes tamen fatentur postremò, eorum singulos dicere posse, quod aliorum nullus attulerit; pauciora tamẽ ab universis esse comprehendenda, quam quę unus fecerit COSMVS. Tuum igitur est judicare, Sereniss. Magne Dux, cum tuis laudibus non sufficiant Vniversi, num libenter præceptis modestiæ Tuæ obtemperarim, si de Te pauca dixerim, immò omnia prætermiserim. Hoc solum mihi superest ægrè ferendum, quod nimiæ temeritatis reus arguendus videbor, qui eximium adeo Mecęnatem, uno verbo qui COSMVM Tertium isto quamtumvis litterario, ideoque Tibi pergrato, levissimo tamen interpellarim munusculo. Dubium tamen est, num temeritatis labe inficiar, cum ad accessus mei argumentum, Tua suffragetur summa Clementia: Ingrati quidem animi notam subirem, si ea qua possumus obstrictissimi cordis testificatione, tuorũ erga nos omnes meri-

rito-

ritorum magnitudinem non ostenderem. Tua in nostram Congregationem promerita à numquam interrupta summorum beneficiorum copia adeo excrevere, ut plus nimio gravati, tanto cumulatæ beneficientiæ pondere oppreßi onus sustinere minimè valeamus. Superhumana ergo qua soles benignitate Theatinæ Familię vectigal excipe; Nec minimum reputes munus, quod magnum ex offerentis obsequio, maximum ex acceptantis evadet humanitate. Suspice in pauco, quod possumus, multum quod vellemus tribuere, & ad nova Religioni, mihique beneficia elargienda Tibi sit amplissimum argumentum. Diù vive ad universi terrarum Orbis admirationem, ad Sapientiæ præsidium, ad nostræ Congregationis Patrocinium.

Celsitudinis Tuæ Sereniſſimæ

Humill. Obsequentiss. atq; Addictiss. Servus
Jacobus Bonanni Cler. Reg.

EX



EX LOGICA.

I.

Datur Logica artificialis, quæ licet dividatur in Docentem, & Utentem, nihilominus habitus Logicæ docentis non est realiter distinctus ab habitu Logicæ utentis.

II.

Hanc Logicam Scientiam esse arbitramur non speculativam, sed practicam, necessariam quidem secundum quid ad alias Scientias comparandas tàm in statu perfecto, quàm imperfecto; non autem necessariam simpliciter ad illas adipiscendas in statu imperfecto, immò neque in statu perfecto.

III.

Pro obiecto materiali Logicæ non res, neque voces, sed operationes Intellectus, pro formali verò earundem operationum dirigibilitatem, sive rectitudinem, ut inducibilem in operationes statuimus; ita ut operationes Intellectus ut dirigibiles sint obiectum attributionis Logicæ.

IV.

Inter gradus Metaphysicos eiusdem entitatis non datur distinctio formalis ex natura rei media inter realem, & rationis, datur quidem distinctio virtualis, quapropter non dissentimur ab admittentibus præcisiones obiectivas inter gradus Metaphysicos eiusdem Physicæ entitatis.

V.

Nullum universale formale, sive Platonicum extrà singularia, sivè Scotisticum inclusum in singularibus, sivè etiam per indif-

indifferentiam admittimus; dicimus tamen naturam posse universalem fieri per actum absolutum, & abstractivum Intellectus illam præscindentem obiectivè à singularibus.

VI.

Universale in actuali prædicatione suam retinet universalitatem; item natura ab unico individuo obiectivè præcisa est universalis.

VII.

Universale ut sic dividitur in quinque prædicabilia, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, respectu quorum se habet tamquam genus; definitionem generis communiter acceptam, quæ est unum aptum ad prædicari de pluribus differentibus specie in quid tamquam rectam definitionem admittimus.

VIII.

Nec genus requirit plures species, nec species plura individua actualia; licèt tàm genus plures species possibiles, quam species plura individua, prout sunt universale Logicum, & Metaphysicum requirant.

IX.

Differentiæ Superiores non includuntur formaliter in inferioribus; individua adeò inter se differunt in ratione individui, ut dari nequeat conceptus communis univocus omnibus applicabilis, nec ulla ratio communis, in qua conveniant.

X.

Datur relatio prædicamentalis realis, quæ tamen, neque cum fundamento adæquatè identificatur, neque est accidens à fundamento distinctum, neque est modus superadditus extremis, sed nihil aliud est, nisi ipsum fundamentum, terminus, & ratio fundandi.

XI.

Veritas propositionis non est quædam relatio rationis ficta ab Intel-

Intellectu reflectente supra actum iudicij, illumque comparante ad obiectum, neque est aliqua relatio realis prædicamentalis superaddita ipsi actui, sed veritas consistit in ipso actu iudicij, & in obiecto se habente, sicuti ab actu iudicij repræsentatur.

XII.

Propositio vera de obiecto contingenti, si importet tempus determinatum transire nequit in falsam, & è contra falsa transire nequit in veram; si autem importet tempus indeterminatum, tunc de falsa in veram, & de vera in falsam mutari posse censemus. Propositiones autem de futuro contingenti sunt determinatè veræ, vel falsæ.

XIII.

Præmissæ non influunt effectivè physicè in conclusionem, benè quidem effectivè moraliter; positis autem assensibus harum præmissarum, licet Intellectus necessitetur necessitate specificationis ad assensum Conclusionis eliciendum, non tamen necessitatur necessitate exercitij.

XIV.

Quando Intellectus assentitur Conclusioni, attingit aliquo pacto obiectum præmissarum. Demonstrationis præmissæ licet debeant esse veræ, non est tamen necesse, quod sint veriores Conclusione.

XV.

Datur Scientia acquisita, quæ non est una simplex, & indivisibilis qualitas, sed est unus habitus totalis compositus ex pluribus habitibus partialibus illum integrantibus, qui habitus sumit suam diversitatem specificam à diverso obiecto formali, non verò à diversa abstractione à materia. Actus autem Scientiæ non repugnat simul cum actu opinionis in eodem Intellectu circa idem obiectum, immò neque cum actu Fidei.

EX PHYSICA.

I.

Physica scientia speculativa est, quæ tamquam obiectum, non ens Mobile, sed pro materiali corpus respicit, pro formali verò eiusdem corporis naturalitatem, ita ut corpus naturale, ut naturale est, sit huius Scientiæ attributionis obiectum.

II.

Corpus naturale non constituitur ex atomis, sed principia eius intrinseca in facto esse sunt materia, & forma; in fieri etiam nullum aliud præter ista duo cognoscimus proprium, & rigorosum principium; privatio enim, etiam si sit de conceptu mutationis non per hoc dicenda est propriè & rigorosè mutationis, seù corporis naturalis principium.

III.

Materiæ primæ, quæ est primum Subiectum uniuscuiusque &c. non revocatur in dubium existentia, sed de facto dari fatemur, hæc licet non dicat actum physicum, dicit tamen actum Metaphysicum, & entitativum proprium, immò etiam propriam existentiam, non enim istam à forma emendicat; præcipuè in nostra Sententia, in qua dicimus, quod existentia entis creati non est distincta realiter ut res à re, neque ut modus à re ab essentia actuali eiusdem entis, sed existentia, & essentia actualis sunt unum, & idem.

IV.

Materia prima ad formas, quibus omnibus potest saltem supernaturaliter spoliari dicit appetitum; ita tamen ut æqualiter appetat inæquales, non enim magis perfectas magis appetit; & etiam si concederetur formas corruptas non posse naturaliter reproduci, tamen etiam ad illas extenderet suum appetitum naturalem.

V.

Dantur formæ Substantiales, quarum aliquæ creantur, aliquæ verò

verò nempè materiales, licet non præexistant in materia, neque secundùm se totas, neque secundùm aliquas ipsarum particulas, tamen educuntur de illius potentia; eductæ autem non sunt tota quidditas compositi, sed tàm materia, quàm forma ad quidditatem compositi pertinent.

VI.

In Viventibus præter animam etiam formas substantiales partiales, & subordinatas admittimus. Plures formæ totales, sivè similes, sivè oppositæ licet naturaliter non possint eandem numero materiam informare, possunt tamen supernaturaliter; plures autem formas totales disparatas non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter posse eandem numero actuare materiam defendimus.

VII.

Materia, & forma absque unione, quæ sit modus quidam superadditus ab illis distinctus adinvicem nectuntur, & compositum constituunt; quod præter materiam, & formam invicem communicatas, & collectivè sumptas nihil aliud importat; non enim est tertia aliqua entitas à materia, & forma simul sumptis distincta.

VIII.

Inter causas, sivè eiusdem, sivè diversi generis physicè influentes in effectum implicat mutua causalitas secundum eandem rationem pro eodem instanti reali; non repugnat tamen eundem numero effectum non solum successivè, sed etiam simultaneè à duplici causa efficiente totali totaliter influente, produci.

IX.

Actio, & passio non sunt entitatulæ quædam distinctæ à causa, & effectu, undè tàm effectus, qui essentialiter pendent ab hac numero causa, quàm illi, qui contingenter sunt potius ab hac, quàm ab illa causa, producuntur sine actione superaddita causæ, & ipsismet effectibus.

X.

Neque implicat accidens; ut causam instrumentalem producere immediatè substantiam, neque implicat substantiam creatam esse immediatè productivam, & accidentium, & alterius Substantiæ.

XI.

Datur in Creaturis potentia obedientialis, per quam dicimus posse creaturam elevari ad creandum; immò dicimus esse possibilem Creaturam, cui competat naturaliter facultas creandi aliquod ens.

XII.

Deus concurrit immediatè cum causis secundis ad operandum, ad actus liberos naturales causarum secundarum non concurrit præmotione physica, sed concursu simultaneo indifferenti secundum se, tàm ad actus bonos, quàm ad actus pravos, ad quos, licet concurrat, non per hoc dicitur, neque dici potest ullo modo Auctor peccati.

XIII.

Infinitum Categorematicum tàm in quantitate continua, quàm in quantitate discreta repugnat, sicut etiam Creatura omnium possibilium perfectissima.

XIV.

Quantitas, cuius essentia consistit in extraneitate partium extrà partes, non est accidens realiter distinctum a re quanta. Continuum non coalescit ex partibus in infinitum divisibilibus, sed ex punctis finitis indivisibilibus.

XV.

Res est in loco absque ubicatione sibi, & loco superaddita, sicut etiam est in tempore absque duratione sibi, & tempori superaddita; verum licet nullum ex modis superadditis admittamus, ut patet ex hoc, & alijs expositis assertis, tamen, quia contrariæ sententiæ quæ illos admittunt, non carent

carent sua probabilitate, ideò non recusamus satisfacere obiectis quæ adduci possunt contrà opiniones propugnantes dari unionem superadditam inter materiam, & formam; actionem inter causam, & effectus non essentialiter ab illa dependentes, ubicationem, & durationem superadditas rebus in loco, & tempore existentibus.

XVI.

Plura corpora esse naturaliter in eodem loco implicat, licet non implicet supernaturaliter; item idem corpus nequit esse naturaliter in duplici loco adæquato, licet possit supernaturaliter etiam circumscriptivè.

XVII.

Natura ita abhorret à vacuo, ut naturaliter saltem ad longum tempus repugnet; supernaturaliter potest dari, in quo casu non repugnaret in illo motus localis.

DE COELO ET MVNDO.

I.



Mundus est compages ex Cœlo, & Terra coagmentata: licet plures esse possint Mundi tamen de facto est unus creatus à Deo in tempore, ita ut creari non potuerit ab æterno neque quoad entia permanentia, neque quoad successiva.

II.

Cœlum nulla anima est animatum, constat tamen ex forma, & materia eiusdem speciei qua constant sublunaria. Cœli planetarum sunt fluidi, Cœlum verò stellatum, seu firmamentum est omninò solidum.

III.

Stellas fixas, & Planetas ita à Sole luminis incrementa mutuare, ut tamen ex se aliquid luminis possideant opinamur.

IV.

Sphæra eſt corpus ſolidum unica ſuperficie comprehenſum, ad quam ab uno intra figuram puncto, ideſt centro omnes rectæ lineæ ductæ ſunt æquales; alia eſt naturalis; alia artificialis.

V.

Sphæra naturalis eſt tota cœleſtis machina ſphæricam figuram habens; Sphæra artificialis, quæ etiam materialis dicitur, eſt inſtrumentum aſtronomicum ad ſphæræ cœleſtis ſimilitudinem efformatum, in quo quidquid in Cœlo imaginaginamur, ſivè circulos, ſivè polos per materiales circulos ſibi invicem cohærentes exhibetur ad rerum notitiam faciliùs comparandam.

VI.

Hæc Sphæra artificialis dividitur in Aratheam, & Armillarem; prima eſt globus undequaque ſolidus, in cuius extima ſuperficie omnia, quæ ſunt in Cœlo, ac præcipuè Stellæ fixæ deſcribuntur; ſecunda eſt illa, quæ pluribus circulis ex ſolidiori aliqua materia factis interſtincta totam primi mobilis doctrinam continet.

VII.

In hac Sphæra decem reperiuntur circuli ſex maiores, qui ſecant totam ſphæram in partes æquales, & ſunt Æquator, Zodiacus, Meridianus, Colurus Solſtitiorum, Colurus Æquinoctiorum, & Horizon; & quatuor minores, qui ſecant ſphæram in partes inæquales, & ſunt Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, Circulus Articus, & Circulus Antarticus.

VIII.

Poli ſunt duo cardines ex diametro oppoſiti, ſeu duo puncta axem terminantia. Axis autem eſt linea quædam, quæ ab uno Mundi cardine, ſeù polo per centrum telluris tranſiens in alterum polum terminatur, circa quam totam Cœlorum machinam intelligimus circumvolvi. Zonæ

IX.

Zonæ sunt illa spatia, quæ reperiuntur inter unum, & alium circulum ex minoribus, cum autem isti circuli minores dividant Sphæram in quinque partes, quinque enumerantur Zonæ, quarum duæ sunt frigidæ, duæ temperatæ, & una, torrida: quæ protenduntur à polis Mundi usque ad circulos Articum, & Antarticum sunt frigidæ; quæ protenduntur, vel quæ mediant inter Circulos Polares, & Tropicos Cancri, & Capricorni constituunt duas Zonas temperatas; illa demum quæ protenditur à Tropico Cancri ad Tropicum Capricorni includens in medio æquatorem dicitur Zona torrida.

EX LIBRIS DE ORTV, ET INTERITV.

I.



Eneratio Substantialis est productio termini Substantialis cum dependentia à causa materiali, generatio quæ involvit mutationem non postulat formaliter terminum à quo positivum.

II.

Terminus formalis ad quem conversionis non est necesse, quod producatur, sed sufficit quod uniatur materiæ in conversione compositi; terminus formalis à quo respectu conversionis compositi non est necesse quod desinat, sed sufficit quod separetur.

III.

Terminus formalis à quo debet desinere in conversione unius formæ in aliam; terminus totalis ad quem debet produci in conversione unius Substantiæ in aliam, terminus totalis à quo conversionis debet desinere.

IV.

In corruptione formæ Substantialis non datur resolutio usque ad materiam primam.

V.

Ens permanens corruptum ex intrinseca sua natura non repugnat naturaliter reproduci.

VI.

Intensio non consistit formaliter in maiori expulsione contrarij, neque consistit in hoc quod tollatur forma imperfecta, & alia perfectior educatur, neque in maiori radicatione qualitatis in Subiecto, sed fit per additionem gradus ad gradus in eadem parte Subiecti; & hi gradus sunt homogenei.

VII.

Elementa sunt quatuor Ignis, Aer, Aqua, & Terra. Primæ quatuor qualitates sunt Calor, Frigus, Siccitas, & Humiditas; Ignis est calidus in summo, & siccus in gradu excellenti; Aer humidus in summo, & calidus in excellenti; Aqua frigida in summo, & humida in gradu excellenti; Terra est sicca in summo, & frigida in excellenti.

VIII.

Probabile est Sphæram ignis esse sub concavo Lunæ.

IX.

Elementa non sunt formaliter, sed virtualiter in mixtis.

X.

Raritas consistit in maiori dilatatione pororum, densitas verò in eorundem constipatione.



EX LIBRIS DE ANIMA.

I.



Nima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis; est triplex Vegetativa, Sensitiva, & Rationalis.

II.

Omnes partes corporis solidæ, & principales sunt animatæ; sanguis non est animatus.

III.

Animæ omnes, sivè brutorum perfectorum, sivè imperfectorum sunt divisibiles.

IV.

In sensibus internis dantur species impressæ, quæ sunt vicariæ obiectorum; concurrunt enim loco obiecti in genere causæ effectivæ ad eliciendas sensationes; huiusmodi species impressæ dantur etiam in sensibus externis, & præcipuè in potentia visiva.

V.

Licet probabilissima sit Sententia Peripatetica, quæ admittit colores reales, tamen potest sustineri, quod color nihil aliud sit, quàm luminis reflexio.

VI.

In homine non reperiuntur tres animæ realiter distinctæ; neque in generatione hominis datur animarum successio.

VII.

Anima rationalis in homine non est forma purè assistens, sed forma informans, etiam prout rationalis.

VIII.

Animæ eiusdem speciei sunt eiusdem perfectionis Substantialis.

Poten-

IX.

Potentiæ animæ rationalis tàm inorganicæ, quam organicæ secundum id, quod dicunt ex parte animæ non distinguuntur realiter ab anima, nec inter se.

X.

Intellectus ad efformandos suos actus Intellectionis utitur iisdem speciebus materialibus quibus utitur phantasia, unde per nos non datur Intellectus agens, cuius munus sit fabricare species spirituales, cum quibus postea concurrat Intellectus ad eliciendos actus spirituales.

XI.

Intellectio consistit in verbo mentis producto ab Intellectu absque actione superaddita.

EX ETHICA.

I.

Ethica est Scientia practica circa actiones humanas occupata; dividitur in Monasticam, OEconomicam, & Politicam.

II.

Actio humana est illa, quæ procedit ab homine, quatenus homo est: ad hoc ut actio humana sit bona tria necessariò requiruntur bonitas obiecti, bonitas finis, & bonitas circumstantiarum.

III.

Quælibet actio in individuo debet esse bona, vel mala simpliciter.

IV.

Eadem actio non potest esse simul bona, & mala potest quidem eadem actio habere plures bonitates, vel malitias.

Volun-

V.

Voluntas non poteſt velle malum ſub ratione mali, hæc poteſt pati violentiam in actibus imperatis, non verò in actibus elicitis; violentia cauſat involuntarium ſimpliciter, ſicut etiam Ignorantia; Metus verò cauſat involuntarium ſecundum quid, non verò ſimpliciter.

VI.

Paſſio eſt motus animæ ſenſitivæ per ſuſceptionem boni, vel mali; undecim enumerantur paſſiones, sex in appetitu concupiſcibili, & quinque in iraſcibili: appetitus concupiſcibilis paſſiones, tres verſantur circa bonum, tres circa malum: quæ verſantur circa bonum ſunt amor, qui verſatur circa bonum, ut conveniens; Deſiderium, quod verſatur circa bonum abſens; Gaudium, quod verſatur circa bonum præſens; quæ verſantur circa malum ſunt odium, quod verſatur circa malum, ut diſconveniens; Fuga, quæ verſatur circa malum abſens; & triſtitia quæ verſatur circa malum præſens.

VII.

Paſſiones appetitus iraſcibilis duo verſantur circa bonum, ſed conſideratum ut arduum, aliæ verò circa malum; quæ verſantur circa bonum ſunt Spes, & Deſperatio; Spes verſatur circa bonum arduum abſens, & poſſibile ad illud accedendo; Deſperatio verò, quæ ſpei opponitur verſatur circa bonum ab illo recedendo propter apprehenſionem ſummæ difficultatis talis boni: Quæ verſantur circa malum ſunt timor, qui eſt paſſio de malo futuro; Audacia timori oppoſita, qua pericula quis aggreditur cum ſpe victoriæ; Ira, quæ è paſſio ex præſantia mali cum deſiderio ulciſcendi.

VIII.

Virtus eſt perfectio potentiæ ad ultimum, vel optimum, vel eſt habitus bonus boni operativus dividitur in Intellectualem, & Moralem; prima perficit Intellectum in ordine ad

cogni-

cognitionem veri, altera perficit voluntatem in ordine ad boni prosequtionem.

IX.

Virtutes Intellectuales sunt quinque; Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars; Intelligentia est habitus perficiens Intellectum circa principia per se nota; Sapientia est notitia rerum præstantissimarum. Scientia est notitia rerum per causas certas, & evidentes; Prudentia est recta ratio agibilium, idest habitus rectificans rationem circa ea, quæ sunt à nobis agenda; Ars est recta ratio factibilium, idest habitus rectificans mentem circa opera facienda.

X.

Virtus Moralis quadruplex est, Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia; Prudentia iam est definita, hæc etiam inter virtutes morales numeratur, quia licet essentialiter sit Intellectualis, tamen secundum materiam est moralis; ordinatur enim ad rectam voluntatem; Justitia est constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi; Fortitudo est virtus animum firmans ad pericula præcipuè mortis subeunda; Temperantia est virtus moderans appetitum circa delectationes bonorum sensibilium.

EX METAPHYSICA.

I.



OBiectum Metaphysicæ est ens, ut ens, cuius entis non datur conceptus abstrahens à positivo, & negativo, reali, & rationis.

II.

Datur conceptus entis realis, qui est univocè communis nedùm Substantiæ, & accidenti; sed etiam Deo, & creaturæ.

III.

Potest dari præcisio quæ non sit mutua, atquè adeò licet ens præscindat à differentijs, non bene infertur ex hoc, quod etiam differentiæ præscindant ab illo.

Utrum

IV.

Utrum autem verè differentiæ præscindant ab ente, nec ne in quæstione tam difficili multum hæsitamus; atque adeò utraque opinio nobis ut probabilis usque adhuc repræsentatur, unde & differentias entis præscindi ab ente defendimus, & sententiam quæ asserit differentias entis non posse præscindi ab ente non improbabilem iudicamus.

V.

Creaturæ possibiles nullum dicunt esse actuale essentiæ antequàm producantur, sed earum intrinseca possibilitas nihil aliud est, quàm non repugnantia obiectiva ad existendum.

VI.

Quælibet res individuatur per se ipsam, non verò à materia, ad quam dicit ordinem.

VII.

Ens Rationis Metaphysicum à nullo Intellectu fieri potest, unde obiectum impossibile non potest cognosci.

VIII.

Subsistentia creata, licet non consistat in aliquo merè negativo, non per hoc consistit in aliquo positivo realiter naturæ superaddito.

Disputabantur publicè Florentiæ in Ecclesia S. Michaelis ab iisdem, qui suprà Anno 1699. Mense Die Hora

LAUS DEO.